

Recidivatio A

Nullum scelus coram Deo tam abominabile fit, quam preterita peccata unicuique nostrum dimissa remiscendo gaudere et inde exultare.

Augustinus in epistola ad quemdam comitem.

Recidivatio B

Qui post lavacrum mundus esse negligit, qui post lacrimas vite innocenciam non custodit, lavantur quidem et mundi non sunt, quia commissa flere desinunt, et iterum flenda committunt.

Augustinus in glossa super illud Ecclesiastici 34: Qui baptizatur a mortuo et cetera.

Recidivatio C

Post fletum non committas quod iterum necesse sit flere, ne defendas quod male locutus es, et quod maliciosa mente concepisti, pessima facta ne replices.

Glossa super illud Ecclesiastici 19: Non interes verbum ducis nequam.

Recidivatio D

Venisti per viam fornicacionis, ambula per viam castitatis, venisti per viam avaricie, ambula per viam elemosyne, si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regno vadis Herodis.

Chrysostomus super illud Matthei 2: Per aliam viam reversi sunt.

Recidivatio E

Cogita, O homo, graviolem esse culpam post veniam, renovatum vulnus peius dolore post curam, molestius hominem sordidari post gratiam quare indulgentie ingratus est qui post veniam peccat, santitatis indignus est qui semetipsum postquam sanatus est vulnerat nec mundari meretur qui semetipsum post gratiam sordidat.

Chrysostomus in homelia quadam.

Recidivatio F

Qui gaudet in bonis que invenit et recordatur mala que evasit, difficile reddit ad malum.

Idem super Mattheum.

Recidivacio G

Plerumque utile est arrogantibus deseri a Deo, quatenus sue infirmitatis conscii ad humilitatem redeant ut humiles post casum existant.

Isidorus libro 3. de summo bono.

Recidivacio H

Uniuscuiusque casus tanto maioris est criminis, quanto priusquam caderet maioris erat virtutis.

Isidorus ibidem.